



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XLVIII. Epistola Præpositi Bambergensis ad Fridericum, Coloniensem  
Archiepiscopum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

ne iniquitatem scientes, & silendo dissimulantes, tyrannidem ei quandoque nocituram roborare videamini. Fraternalis ergo compatiendo pressuris, ascendite quæso ex aduerso. Nam quamuis pauci simus numero, communicatis tamen synceriter viribus, Domino patrocinante, cuius vicem gerimus, facile calumnias peruersorum propulsabimus.

## XLVIII.

*Epistola Præpositi Bambergensis ad Fridericum, Coloniensem Archiepiscopum.*



Acrosanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archipontifici Friderico primææ indoli virtutum ac dignitatum assecutione respondenti Præpositus cum toto Babebergenium Fratrum Collegio impensissima vtriusque hominis obsequia.

Quam festiua vestræ beatitudinis promotione suscepimus gaudia, nullius, quantumlibet disertis, explicabit facundia. Quis nam quæso Orator, illum nostri pectoris vocibus prosequeretur affectum, cum filium charissimum sub pennis nostræ fraternitatis sotum & altum in Cathedra Coloniensis Ecclesiæ videmus exaltatum? Ea quippe die, nostræ statum Ecclesiæ, in aliquibus temporis asperitate nutabundum, in tantum sperauimus esse suffulciendum, vt vobis superstiti, nullum vel sentire possit dispedium. Sed, quod nimirum nostris adscribendum est infortunium, non solum hoc sterilitatis anno vestris non sumus releuati suffragiis, verum etiam vobis grauioribus occupato negotiis, nostris per vos destituti sumus oblationibus.

Nostris quidem, Præsulum Serenissime, nostræ querelæ causam, iam iamque processu temporis inueteratam; quæ, licet sæpenumero per fratres nostros auribus vestris innotuerit, nihil tamen nobis vestræ maiestatis contulit audientia; quin imò eo vsque res deducta est, vt non solum ad tempus bonis nostris caruisse, sed & ea prorsus videamur amisisse. Siquidem miles vester N. pertinaci animo nostram retentat oblationem, nec vlla ratione asserit se reddi-  
turum.

urum; nisi tantundem, aut amplius à nobis recipiat. Alius quidam iactat, se oblationem nostram N. in possessionem coëmisse. Talibus utique & aliis necessitudinibus circumuenti, non modicam stipendij & oblationis nostræ patimur penuriam.

Quocirca si vlla fraternitatis nostræ vobiscum viuit memoria, si precum nostrarum deuotio, vel minimo vobis constet momento, causam nostram in libra æquitatis & gratiæ appendite: hoc videlicet vobiscû accuratius pertractans; quantum vestræ deroget æstimationi, eos de vobis causari, quos maximè oportet per vos subleuari. Quod, ne quando futurum sit, dispensatio diuina cuncta moderans auertat: quæ vos etiam sic moderari dignetur; quatinus ipsi placens, & hominibus memoriam vestri in benedictionem perpetim consolidetis.

## XLIX.

*Epistola Bambergensium Canonicorum  
ad Magistrum quendam.*

**S**ummæ venerationis magistro R. solertia virtutû ad vnguem limato F. Præpositus, A. Decanus cum toto Babebergensium fratrum Collegio solidissimum fraternæ dilectionis vinculum.

Industria tuæ fama, qua & moribus & scientia eminere prædicaris, vtrò citroq; illecti ardentibus votis faciem tuam videre desideramus. Sed si contingat sic videre, vt reliquam ætatem nobiscum velles transigere, profectò plenum nobis apportares gaudium, & quodammodo de magnis curarum æstibus absolutos, in optatæ stationis portu locares. Enim verò longo iam tempore scholasticum quærimus: sed, qualem vellemus, non reperimus. nam non æquis ducti auspiciis, vel ipse nobis, vel nos illi displicemus. Proinde, si fieri potest, te virum spectatum, & multorum testificatione nobis approbatum, scholasticæ subrogare decreuimus disciplinæ, fiduciam habentes, per constantem eruditionis tuæ modestiã,